Jos. Gonzaga

Declos Jos. Ant. Mensurā doloris.

MENSURA DOLORIS,

Ex Quantitate Magnorum de Republica & Ecclesia meritorũ,
ILLUSTRISSIMI olim ac EXCELLENTISSIMI DNI,

D. JOSEPHI GONZAGÆ

MARCHIONIS IN MIROW

MYSZKOWSKI,

CASTELLANI SANDOMIRIENSIS,
Academiæ Pinczoviensis Munificentissimi
FUNDATORIS;

DESUMPTA.

& dum

Pijs Ejusdem Manibus
Justa Parentalia
In Ecclesia Szaniecensi PP. Cameldulensium Montis Coræ,
Indolente Magnorum Hospitum Coronâ
Persolverentur;
In memoriam Magni in Republica Senatoris & Fundatoris,
Luci publicæ
è voto Academici Pinczoviensis Studij,
Per

M. JOSEPHUM ANTONIUM
DECLOS,

In Alma Universitate Crac: Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem, interea Coloniæ Pinczov:
DIRECTOREM.

PORRECTA.

Annô Domini 1751 Die 24. Mensis Maji.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

In Avitum decus
DOMÛS
CELSISSIMÆ.



Ad luctus veniunt Aquilæ, queîs Mantua nidus,
Et Regni volucres, & cataphractus Eques.
Gens non una Polum magnîs ploratibûs implet,
Quód meritîs magnus, MARCHIO fata subiît;
Ast præter lacrymas, sumptu POGONIA parentat,
Quòd non sufficiat, funera flere docet.

CELSISSIMO PRINCIPI, ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. STANISLAO KOSTKA, DUCI IN KLEWAN, KOREC & OLEXIENIEC CZARTORYSKI, SUPREMO REGNI VENATORI, CAPITANEO RADOSZYCENSI.

L*Ugubrem paginam, quam inter Justa* Illustrissimi *olim* Marchionis Magni in Polonia Senatoris, Fundatoris & Mecænatis sui Amplissimi Parentalia, *publico pallentem mærore, magisq; lacrymis perfusam quàm sepiá, dolentissimæ Academico Pinczovienses Musæ, omnium retrò sæculorum memoriæ, pro luculento perennis suæ in Munificos Fundatores gratitudinis exhibuerunt argumento, ad Tuas imprimis defero manus* PRINCEPS CELSISSIME, VENATOR ILLVSTRISSIME. *Suasit id mihi singularis Tua, & omni ævo pro exemplo proponenda pietas, qua Polonus Hector, Æneæ Tuo,* Dux CZARTORYSCIUS MYSZKOVIO, Celsissimus Nepos, Illustrissimo Avunculo Marchioni, *sumptibus, qui* Te Principem *decent, funebrali pompâ, quæ Marchioni debetur justa persolvis Parentalia. Exigebat id ille proximus sanguinis nexus, & intima per* Celsissimam Ducissam HELENAM *dilectissimam olim defuncti Castellani Consortem, Tuam verò Amitam, desideratissimo cum Marchione affinitas, ut qui vivus arctissimo Consanguinitatis jure junctum, Te sibi gaudebat, Orbis Poloni super fatis Magni Senatoris, Musarum nostrarum super obitu primi Fundatoris sui & Mecænatis singularissimi, effusi in paginam dolores, Celsissimo Tuo sub Nomine, ad posteram sæculorum memoriam prodirent. Nihil demum eo videbatur convenientiùs, quam ut testes magnorum de Patria & Ecclesia defuncti Castellani meritorum paginæ, sub Celsissimi Tui Nominis purpurato splendore, publicam sibi vendicarent lucem, illius utpote Principis, qui profuso in pompam Funebralem auro, affinem Tibi Marchionem ipsis velles vindicare à fatis. Tua profectò* Princeps Celsissime *liberali pietate, Tuis quibus minimè parcis sumptibus, magnis invidas Nominibus confundis Parcas, istud ad præsens agens, ut dum sibi Magnos Heroas sustulisse ex Orbe blandiuntur, sinapi mordeant & livore tabescant, quando etiamumbras illorum, inter splendidos funerum actus illustres vident, & ferales tumulos meritissimis Heroibus, in perennia nunquam morituræ gloriæ monumenta assurgere mirantur. Ita prorsus discit Tuo ab exemplo Orbis, quod* extin-

extinctis gelida morte corporibus, Illustrium animarum minime frigescunt amores, imò quod praeelsi cognata derivata per foedera sanguinis calor, inter exsanguia sepulchralium monumentorum marmora, intersstori in exhibendis officijs fervescat aestu. Egisti tu profecto PRINCEPS, *quo laudatissimam Arthemisiae in suum Mauzolum aemulareris & aequares pietatem. Egisti singulari amore, curâ, impensis, ut gloriosissimi Senatoris funera dignis tanto Nomine splendoribus & thaedis, Poloni in facie Orbis collucescerent. Egisti, ut justa* Illustrissimi Castellani *Parentalia pro meritis inter Szaniecensis Eremi umbras refulgerent honoribus. Egisti ut Magni Marchionis manes splendido conderentur Mauzolaeo. Tuam* PRINCEPS *operam, laudatissimumq; impendisti amorem, ut alto laetus è sidere sua spectaret Marchio funera. Tuus Ducalis* Pogonia *tot Magnorum Lithuaniae Ducum, tot Poloniae Regum gestator, Marchionales, Manthuanis derivatas à Ducibus, tot demum Principum & Imperatorum affines Aquilas, ceu Phoenices suis è cineribus in basilicum funebralis scenae deduxit theatrum, & desideratissimas volucres inter ipsos mortis apparatus Regali Polonae Aliti statuit redivivus. Scena haec funebralis pompae, Te ipso* PRINCEPS Celsissime *Authore agitur, amplissimum gloriae Tuae, quâ Polonum implêsti & imples Orbem, aggredi non audeo theatrum. Solutos Tibi pagina haec elegos defert non elogia, quibus ut pro Nominis celsitudine etiam maximis altior, sic pro eximiarum virtutum, dotum, qualitatum, summorumq; tam de Patria, quàm Ecclesia* DEI *meritorum magnitudine, omnibus es Superior. Notus es* Princeps, *non tantùm Patrio, sed toti Europeo Orbi, ab augusti Generis Tui claritudine. Notus à cognato Principum Solijs, Regum thronis, imò augustissimis quoq; Origentis & Occidentis Imperatorum Majestatibus sanguine. Nota est Ducalis Genesis Tua Regnis & Gentibus, non minùs quam solis cubilia; notae praecellentissimae Sceptris & Imperio dignae virtutes, non minùs ut omnibus viventibus solis radij. Optimè posses o* PRINCEPS *scribi, si Tuo Te calamo scribi velles: Scribent Te verò, scribent eximias actiones, scribent clarissima Tua opera sublimiores pennae, & digniores calami, totis fastis, totis voluminibus. Habebis* Supreme M.D. Lith: Venator, *certissima immortalis aucupia gloriae, pro qua continuis laudatissimae Tuae in terris vitae studiis, conatibus, ipsisq; operibus allaboras. Sola haec pietas, qua in Cognatum effusissimus Nomen, clarissimo gestis, meritis, & virtutibus Senatori, justa persolvis Parentalia, Celsissimo Nomini Tuo laudem famamq; perennem reddet, non precariâ. Gestigentibus & plaudentibus ab alto Olympi culmine Marchionalibus defuncti Fundatoris Nostri Aquilis, decurres* PRINCEPS Celsissime *amplissima primorum in Orbe Lechico honorum Olympia, ibis per summa fascium & Curulium Regni fastigia, purpuratosq; dignitatum apices. Academicae verò Pinczovienses Musae lugubri penna Myszkovio Marchioni & Castellano Fundatori suo primo,* Mecaenati Singularissimo *intime obsequentes, Nomen Tuû beneficum mori vetabunt; Ego officiosissimos ab Academia dolores* Celsitudini Vestrae *deferens, Celsitudinem Vestram cum tota Celsissima Domo non solùm diu incolumem, sed etiam immortalem in terris opto*

CELSITUDINIS VESTRAE

Infimus Cliens A. O.

MENSURA DOLORIS.

Ex quantitate magnorum de Republica & Ecclesiá meritorũ DESUMPTA.

INdividuus amoris Comes Dolor,
non tam ex interna passionum Corporis permistione,
quàm ex grata rectefactorum memoria
mensuram lacrymarum desumens,
eò acerbiorem sibi accidisse cruciatum judicat,
Quò diligentiùs
meritorum syllabum
ad numerum revocat pleniorem.
Innatant profundo luctûs Oceano oculi,
crescit gravior in pectore angor
ad accrescentem bonorum Auxesim,
quæ toties justam doloris exigunt mensuram,
quoties illorum continua in rebus agendis
recolitur Quantitas.

Nec immerito:

Quisquis exambit doloris nosse magnitudinem,
mensuret meritorum in ante quantitatem
& mox coæquatam luctûs, cum rectefactis
proportionem advertet.

Ex umbris metiri Corpora sæpius falli est,
quæ se aliquando majores, aliquando minores
hîs à quibus proijciuntur fingunt;

Qui tamen scitè dolorem elicit,
absq; errore
Quantus fuerit & esse debeat mensurabit,
Si gratissimam sibi olim boni amissi præsentiam
Cum absentia ejus
Velut cum umbra contulerit:
Videbitq; nec utrumq; se excedere, nec unum excedi ab altero.
Tantò plerumq; atrocius affligitur animus
quantò sincerius id quò spoliatur diligebat,
eò molestiùs in se assumit tædium
quò olim jucundiùs nanciscebatur delicium.
Habent hoc heroicæ Magnorum Virorum animæ,
ut quantò dulciùs meritîs Patriam ornent,
tantò crudeliùs eandem torqueant,
absentiâ suâ diutiùs contristent,
Vulnus cordibus lethale infligant:
Quod toties novo recrudescit sanguine,
quoties incorruptus eorum erga bonum publicum candor
venit animo revolvendus.
Quò major in mentem meritorum revocatur numerus,
eò major doloris crescit multiplicatio,
Ita sanè:
ut ex quantitate rectefactorum
justa semper doloris derivetur mensura.
Hanc qui expandere exambit,
sumat normam mæroris,

ex

ex debita meritorum extensione,
ILLUSTRISSIMI *olim ac* EXCELLENTISSIMI DOMINI
D. JOSEPHI GONZAGÆ
MARCHIONIS IN MIROW
MYSZKOWSKI,
CASTELLANI SANDOMIRIENSIS,
Coloniæ Pinczoviensis munificentissimi
FUNDATORIS.
Vixit Senator hic dignissimus non annis sed factis,
Qui
sicut meritîs suîs capacissimas excessit mentes,
ita acerbiores in cordibus omnium reliquit singu tus.
Erat Ille Senatûs os & corculum
unde lacrymas poscit,
quæ vocis semper pondera habent:
& dum Roseam deposuit Purpuram
spinas luctuum reliquit in puncturas.
Quantùm Ille merebatur, tantùm mærendum est,
quantùm amabatur, tantùm dolendum
& quantùm superstes pro bono Sarmatico egit,
tantùm ad præsens Sarmaticus contristetur Orbis.
Fuit Ille Reipublicæ delicium,
Regni firmissimum tutamen,
Musarum amantissimus Pater,
Hinc:
dum è Senatoria Curuli ad tumulum transportatur,
Hoc ipso
Animos Procerum in mæstitiam,
Corda Heroûm in dolorem,
Coloniam Pinczoviensem
uberrimas resolvit in lacrymas.
Lugubre fert penna Elogium,

 diser-

disertus præ fati acerbitate in luctibus mergitur dolor,
dum hujus Fundatoris sui computat actus,
Quem Trabæis innutrita virtus sic docuit vivere,
ut terris ereptus deplorari meruerit,
& perennantibus planctibus tumulari.
Meretur hic Senator Illustrissimus
ut mærentium oculi in Ponto mergantur lacrymarum,
qui toties naufragam Poloniam
sui adminiculo Consilij fecit enatare.
Meretur mensuram doloris ex meritorum suorum numero,
Quem vera in DEUM Pietas,
fervens in Patriam amor,
larga in egenos munificentia,
ita Lechico commendavit Orbi;
ut ab ipso corde
prorumpentibus defleri debeat gemitibus.
Et bene:
Pridem pridem, MYSZKOVIANÆ hoc est congenitum Domui,
ut emeriti, Illius Prosapiæ Viri,
non prius occidant
ni luctuoso æquori immergantur,
non fatis priùs cadant, quàm lacrymis.
Heroica Illorum opera quoties attenta recoluntur mente
toties Orbem totum ad stuporem,
animos Civium ad continuos vocant singultus.
Gemit hucusq; Patria Virum perennaturis inscriptum fastis
JOANNEM MYSZKOVIUM
intimũ CASIMIRI III. Regis Poloniarũ Ephestionẽ
á Quo
Prima Pervetustæ Domûs procedit origo,
De cujus bono amisso tantùm dolet,
quantùm habuit solatij de Possesso.
Vitentem Ille adhuc annorum suorum palmam
triumphalibus Martis adjunxit laureis,
inter

inter Martiales ignes tantùm enituit,
quantùm splendor Gloriæ ejus exposcebat.
Magnus Nomine in Orbe Polono, meritis major
J O A N N E S,
in hoc tantùm sorti benignæ injurius fuit,
quòd honoribus locum apud se non concesserit;
mereri maluit titulos quàm habere,
quosq; meritis obtinere potuit,
hos Charissimæ Soboli
SIGISMUNDO & PETRO
Germanis inter se Fratribus
capessendos reliquit.
Qui
sublatô è vivis Dignissimo suo Genitore
tantùm meritis ac famâ inclaruêre,
ut Illustrissimi de Illis certarent honores.
Meruit primas PETRUS gratias ac favores
sub
S I G I S M U N D O II.
P O L O N I A R U M R E G E,
qui in Pro-Cancellarium Regni electus
Vir Consiliorum ab Eodem proclamaretur.
Signatorium ita gessit annulum;
ut & Regnum felicitati,
& suum Nomen æternitati desponsaret.
Quidquid dixit gemmeum, quidquid fecit
perennaturi id annotaverunt fasti.
Certavit de Ipso Płocensis, dein Cracovien: Tyara
Et utraq;
Maximorum honorum capacem cinxit verticem,
Auxit Purpuræ splendorem PRÆSUL ILLUSTRISSIMUS,

quia illam vivîs in se virtutum coloribûs adumbravit.

VIGILANTISSIMUS DIÆCESIS CRACOVIENSIS

PASTOR,

quantùm pro Gloria DEI laboraverit,
quantùm pro reparandis Templis
operæ & æris impenderit,
quantò pro extirpandis Hæresum monstris
zelô certaverit:
Vidit Orthodoxa Religio, vidit Pinczovia,
tunc vel maximè:
quando bonorum Illius Hæres ac Possessor factus,
Infensos Fidei Catholicæ Arianos & Schismaticos
de medio Oppidi ejus ejecit, propulsavit;
pollutam Ecclesiam reconciliavit,
& Sacram D. PAULI primi Eremitæ Familiam
ab Hæreticis expulsam
loco suo restituit & fixit.
Virgam Pastoralis directionis Ejus videre, idem erat
ac virgam vigilantem spectare;
quæ pomposiùs quàm Ægyptiorum Sceptrum eminuit,
Ejus providentiæ oculo manens insignita.
Areopagum Justitiæ illius, ipsæ venerabantur virtutes,
vitia formidabant;
& cum detestandis metuendus fuerit sceleribus,
Nulli non amabilis visus:
Procul à Præsule Hoc omnis arrogantia,
procul fastuosæ mentis elatio,
animi perversi dolus à longe,
omnibus se affabilem, omnibus accessibilem præbens.
Pari animi præstantia, ac morum gravitate,
cum suo Polluce certavit Castor

SIGIS-

SIGISMUNDUS
CAPITANEUS OSWIECIMENSIS
Vir omni Authoritate Major,
Qui
quantùm pro bono Patriæ tulit & alsit,
facta ejus loquuntur.
Ardebat totus erga illam inextinctô amoris zelô,
unius ratus esse præcepti honorare Patrem,
& Patriam.
Inter Ferreos enses probavit caput aurum esse optimum,
quod vel ideo Galea militari texit,
ut haberet quô captivam ejus redimeret libertatem,
quam ne omni destitutam præsidiô redderet,
Trismegistum agere visus,
dum Ternionem Filiorum
illi in subsidium reliquit,
PETRUM, SIGISMUNDUM, ALEXANDRUM MYSZKOVIOS.
ALEXANDER Verus Polonæ Gentis Macedo,
animô fortis, periculîs imperterritus,
hostibus terribilis, in expediendis negotjis
Reipublicæ gloriosus;
Qui
traducto in se generoso antiquioris ALEXANDRI Spiritu
novum se Orbis Poloni Philippidam probavit.
PETRUS
PALATINUS RAVENSIS,
CAPITANEUS CHĘCINENSIS
ut famâ, ita meritîs vocalissimus,
quantitatem meritorum à Majoribus sumens
auxit Domûs suæ Decorem,

Qui

Qui
primos vel exinde meretur titulos,
quòd Primus Ordinationis Pinczoviensis FUNDATOR,
in angularem toti Marchionatui lapidem abierit.
Adamantinum Reipublicæ fulcrum PETRUS erat,
& simul ipse adamas,
ex eo multùm æstimabilis,
quod Regum Coronis,
in decus & insigne ornamentum cesserit.
Assurgit immortalis Gloriæ Obeliscus
SIGISMUNDO
CASTELLANO WOYNICENSI
mox
SUPREMO REGNI MARESCHALCO
secundo Marchionatûs
INSTITUTORI
Qui Sarmatiam totam
ne adversîs quassata hostium ictibûs corrueret,
Atlanticîs suffulsit lacertîs.
Firmissimum ex illo Patria præsidium habuit,
& ut quondam Trojanis Pergama tutamen;
sic Poloniæ illius invicta fortitudo
Arx inexpugnabilis erat.
Monstravit suæ dexteritatis documenta
Hic Polonus Alcides;
dum Regnante
SIGISMUNDO III.
Domesticum inter Cives oriretur prælium,
fraternorumq; odiorum inter Polonos accenderetur flamma,
Ille novo prodigio, flammîs amoris, odiorum extinxit ignes,
acerbos Confederatæ Gentis mitigavit furores,
rebelles animos sermonis gratiâ delinivit.
Non sanguinem sed verba fudit,
ut novô victoriæ modô gloriosus triumpharet.

Vidit

Vidit magnanimi hujus Herois in rebus agendis prudentiam
Lechici Orbis pupilla SIGISMUNDUS III.
Poloniarum Monarcha,
idcircò illi Legationis munus in Italiam contulit,
quo functus, ita Hybleâ suâ svadâ
CLEMENTIS VIII.
SUMMI PONTIFICIS
ad vota sua inflexit animum,
tantum sibi in Corde Illius conciliavit amorem,
ut ab Illo Marchio creari mereretur.
*Fabula est, Herculem Gallicanum populorum corda
aureis compedibus vincta in sui
arbitrium duxisse;*
Ille
ita omnium Procerum devicit corda,
ut etiam SERENISSIMUM GONZAGAM
MANTUÆ DUCEM,
ad sui traxerit æstimationem;
cujus cordi tantùm adhæsit,
quantùm Epaminondæ Lysias, aut Agamemnoni Nestor.
Novit Illum PRINCEPS hic cordis sui delicium esse,
Quem ut propiùs admoveret,
in arrham majoris suæ propensionis
GONZAGARUM Nomine
Ducalisq; suæ Prosapiæ Insignijs
unà cum Successoribus
Polonum donavit, & ornavit Mercurium.
Verum: si fortes creantur fortibus,
si ex Macedonibus magni nascuntur ALEXANDRI,
Ita,
ex Mareschalco Regni Heróé Patre
prodijt Heróâ Proles.

 JOAN-

JOANNES, FERDINANDUS
CAPITANEUS GRODECENSIS,
VLADISLAUS,
PALATINUS SANDOMIRIENSIS.
Qui pro fide & Regno, pro Jove & Patria,
publica pericula in ſe transferentes,
tantùm meritis floruêre,
quantùm Illis ad perennis gloriæ memoriam ſufficeret.
JOANNES GONZAGA
SUCCAMERARIUS BEŁZENSIS,
Ipſe ſibi ad millena encomia vox,
qui ut Patriæ gratioſus adfuit,
ita adverſo Marti Achillis haſta metuendus.
FERDINANDUS GONZAGA
MARCHIO IN MIROW
CAPITANEUS GRODECENSIS,
non ferrea, ſed aurea toti Poloniæ tulit momenta,
quàm ab æſtu Othomanici furoris defendens,
in ſubſidium illius notabilem militum manum
proprijs ſuſtinuit ſtipendijs
MUNIFICENTISSIMUS MECÆNAS,
Hanc, quã juſto labore congregavit fortunam,
in opem egenorum transfudit,
maximum ſe habere ratus theſaurum,
in manibus Indigentium..
Gaudet Miroviensis Baſilica, prope Pinczoviam ſita,
quòd Illius manibûs à fundamentis erecta ſteterit,
quam non tantùm Altaribûs ornavit,
aſt & pretiosâ ditavit ſupellectili.
Hanc meritorum & boni communis in ſe expreſſit Idæam
Vir nullîs lacrymîs ſatis deplorandus

ILLV-

ILLUSTRISSIMUS ac EXCELLENTISSIMUS DNUS

D. VLADISLAUS GONZAGA

MARCHIO IN MIROW

MYSZKOWSKI,

PALATINUS SANDOMIRIENSIS,

Qui ut Fraternorum Bonorum Hæres,
ita verus virtutis Illius extitit Possessor.
Quidquid in Congressu Purpuratorum Virorum locutus,
condi poscebat in paginas,
SENATOR EMERITISSIMUS
Eâ mentis magnitudine, prudentia, virtute,
Purpuram suam exornavit,
quâ optimum quemvis decet clarere SENATOREM.
Nuntius ad Generalia Regni Comitia,
tantùm animi sui prudentiâ
ac eloquij Majestate effecit;
quantùm sibi Scipiones vel Tullij efficere potuissent.
Fundebat verior Isocrates mellitam ab ore Hyblam,
& sic Attica dicendi ubertate,
Civium emollivit animos,
ut eos in partem, sensumq; boni publici inclinâsset.
Quoties pro bono Communi facundo peroravit ore,
toties verborum gemmis
inopem locupletavit Poloniam.
Apparuit in Curia Consus, in acie CODRUS,
in cordis puritate crystallus,
sed crystallus illa,
quæ corda Civium ad boni ac honesti accendit amorem.
Habuit ingens ex Illo Patria solatium,
Senatus Gloriam & Honorem,
Ecclesia firmum Præsidium,
Qui cùm steriliter decessisset

Devolutus tam honoris, quàm meritorum gradus
in Collaterales MYSZKOVIOS,
Ex quibus,
Primus nobis adorandus venit,
ILLUSTRISSIMUS ac EXCELLENTISSIMUS DNUS
D. PETRUS GONZAGA
MARCHIO IN MIROW
MYSZKOWSKI,
CASTELLANUS LUBLINENSIS,
Illustrissimi Castellani Sandomiriensis
DIGNISSIMUS PROAVUS,
Vir omni probitate, meritis, tam in Russia,
quàm in Orbe Polono Insignis,
Cui
Nulla unquam à teneris gratior indulgentia erat,
quàm ad Aras,
nullum jucundius solamen,
piarum amaritudine lacrymarum.
Pietatem ita à primævo ætatis suæ vere coluit,
ut illam cum lacte quasi Materno suxisse videretur.
Arduis Reipublicæ intentus negotijs,
quamcunq; in se functionem suscepit,
Eandem semper ex asse expedivit.
Aheneus Poloniæ murus PETRUS erat;
nam quoties adversis hostium oppugnabatur viribus,
toties pro bono illius imperfractus ad portas
stetit Annibal.
Fortior semper pro Domo ejus pugnavit Anthæus,
plumbeam grandinem quam suo Clypeo excepit,
hanc in hostes majori retudit impetu,
Immota contra quosvis hostiles insultus erat Petra PETRUS,
cui

cui firmiter allisa, toties bellorum procellis commota
Reipublicæ nunquam perijt Navis.
Domandi erant ferales hostium ictus,
uniendi discordes Civium animi,
Salus Reipublicæ in integro servanda,
domavit, univit, depressit,
omnibus adversis ipsô fortior apparens Caucasô.
Non minùs gloriæ, quàm meritorum tulit Sarmatiæ
ILLUSTRISSIMUS DOMINUS,
JOANNES GONZAGA
MARCHIO IN MIROW
MYSZKOWSKI,
CAPITANEUS TYSZOVIENSIS,
Illustrissimi Castellani Sandomiriensis
DILECTISSIMUS AVUS,
Cujus
si ingentem spectes animum,
dic creatum à virtute Gygantem,
si heroicæ prodigia vis lustrare mentis,
Achillem, Dijs esse genitum proba.
Non novum erat huic Herculi Polono
castra in carceres, vincula in serta commutare,
qui se luctanti triumpho amarum fecit,
dum armatum.
Non potuit luculentiùs ditare Patriam,
quàm dum pro ejus promovendo bono & commodo,
totam omni pretiosiorem aurô vitam impenderet;
Illius Martio spiritu Lechia vixit,
& quoties illi ultima ad vitam deerant remedia,
se ipsum pro salute ipsius hiantibus mille periculorũ voraginibus
inijciebat Curtium.

Invicto hùic Heroi, nulla occurrit gravitas,
quam fortiori non vinceret animô,
nulla se objecit Martis inimici potentia,
quam dextrè non fregerit,
contra minas hostium ferreus,
contra impetus adamantinus,
contra sinistros fortunæ casus animosus & audax.
Quo passu ad quantitatem Heroicæ devenit virtutis
JOANNES,
Eodem ad omnem perfectionis properavit gradum
ILLUSTRISSIMUS ac EXCELLENTISSIMUS DNUS
D.FRANCISCUS GONZAGA
MARCHIO IN MIROW
MYSZKOWSKI,
CASTELLANUS BEŁZENSIS,
Charissimus Castellani Sandomiriensis Genitor,
Qui
Gloriosissimis Prædecessorum suorum inhærendo vestigijs,
hoc famæ immortalis adijt punctum,
ut nihil in eo elatum, nil in moribus devium,
sed omnia in medio consistentia,
& ad formam probitatis redacta,
humanus observaret oculus.
Nil unquam Patriæ erat amabiliùs
Virô hôc:
nil ad lætitiam utilius, nil ad gloriam majus.
Quoties pro integritate illius cum hoste prælia inivit,
toties semper Victor, nunquam victus
ex arena secessit Gradivi.
Amans Patriæ Filius,
jussa Matris suæ gloriosè absolvit.

Posce-

Poſcebat quando Patria fulciri libertas,
Ille fortem ſuppoſuit lacertum,
requirebat Tripodem Senatus,
Ille proficua dabat oracula,
egebat ingruente periculorum tempeſtate protectore Clypeo,
Adfuit Ille extremis Fabius, ſpes ultima rebus.
Fideliſſimus boni publici Cuſtos,
Ne commune in præceps quando rueret bonum,
fluctuantium ſenſus in rectitudine mentis
firmavit, ſolidavit.
Legatus ad Comitia Palatinatûs electus,
illas ab ore ſpargebat roſas,
quæ odorem virtuti, ſpinas ſceleri inferre ſolent.
Quivis vocis ejus accentus, ita omnium demulcebat aures,
ut ſingulorum animos ad bonum inflecteret.
FRANCISCI Seraphici inſignitus nomine,
illô zelô pietatis erga Superos,
illâ veri amoris in Patriam ardebat flammâ,
quâ nec Flamminius quondam inter æſtus exarſerat præliares.
Totum ſe publico devovit commodo,
quod ita prudenti conſilio, & non fucato abſolvit amore,
prout optimum decuit Civem.
Eandem virtutis in ſe aſſumpſit menſuram,
dilectiſſima ſui Mariti Conſors,
ILLUSTRISSIMA ac EXCELLENTISSIMA DOMINA,
D. ANASTASIA SARBIEIOWSKA
PALATINI MAZOVIÆ FILIA,
Illuſtriſſimi Fundatoris Genitrix,
Quæ
uti meritorum ita & virtutũ quantitatẽ ſuis ampliavit dotibus,
Eluxit in animo ejus omnis ſinceritatis candor,
Erga DEUM inextinctus amoris ignis,
in mente prudentia, in ore affabilitas,
erga miſeros clementia & bonitas,

 omnesq;

omnesq; in Illa virtutes, velut sidera dum suo mergitur
Ponto Tytan enituêre.
Gemma hæc omnî pretiô carens,
postquam innatîs dotibûs. & virtutum fulgoribûs
Polonum illuminavit Orbem, Cœlesti inserta Coronæ.
Hâc de Concha
prodiêre inæstimabiles Regni uniones,
STANISLAUS & JOSEPHUS
MYSZKOVIJ
Viri omnî encomiô digni.
STANISLAUS
Ipse sibi laus & sufficientissima Panegyris,
Qui ad maxima Peraugustæ Domûs suæ decora natus,
ut suam meliùs moribûs expolijsset juventam,
Exteras petijt nationes;
Noluit domesticis immorari laribus,
alium sibi quærere elegit Orbem.
quem Polona non comprehendit Macedonia.
Non suffecit illi Patrius ager,
herbas in Coronam ferre triumphalem,
inter candida heroico passu Galliæ ivit lilia,
à quibus tantam morum ac probitatis assumpsit fragrantiam,
ut etiam Redux, languidos Patriæ reficeret sensus.
Judex Tribunalis Regni Deputatus
docuit suo posteros exemplo,
quomodo Astreæ Heccatumbe immolanda.
Candidum virtutis pallium si quando induunt vitia,
coram Illo non semel erubescere cogebantur,
qui potius nudam maluit spectare veritatem,
quàm vestitum purpurâ scelus.

Fugie-

Fugiebat procul omnem corruptionis umbram,
ne lucidam obumbraret virtutem.
Recti honestiq; Cultor,
nullo censu opulentior esse videbatur,
nisi animi, nulla dote præstantior quàm virtutum.
Illa semper maturitate judicii ac prudentia polluit,
quæ graves Catones & Fabios decet.
Plura Vir hic meretur encomia,
verùm gloriosi illius tam pro Aris,
quàm focis expediti actus,
excedunt numerum Oratorium;
Cujus innumera merita, infinitæ virtutes,
debitam mensurā doloris, non Panegyrim poscunt.
Quanta mæroris crescit materies ex obitu hujus Emeriti Viri,
longè major sumenda venit ex quantitate meritorum,
ILLUSTRISSIMI olim ac EXCELLENTISSIMI DNI
D. JOSEPHI GONZAGÆ
MARCHIONIS IN MIROW
MYSZKOWSKI,
CASTELLANI SANDOMIRIENSIS;
Cujus egregia facta dum calamus mistâ cum lacrymis
sepiâ exarat, animum in mærorem,
cor in graves provocat singultus.
Meretur tributum oculorum mortuus,
qui vivus cordium merebatur.
Crevit Ille magnîs in Republica meritîs, diutiùs,
etiam longum in seram posteritatem requirit luctum,
Qualis quantusq; fuerit JOSEPHUS,
ipsi Eum Heroici actus Polono declarant Orbi,
Cujus Gloriæ Majestas,
etiam inter conticinia fatorum vel inde vocalis,
quòd eam noverit propriîs in immensum extendere factîs.

In prima statim ætatis aurora.
optima in Illo excelsarum virtutum eluxit Indoles,
tam certò expost expleta;
quàm non falsò ante præsignata.
Adhuc Illum augusta Lucina, angustis stringebat fasciis,
& jam amplitudine gloriæ, Lechicum implevit Orbem.
Nondum in Eo supra prætextam creverunt humeri,
& jam Patria suum fore ominabatur
Atlantem.
Morum illius maturitas,
& annorum teneritudo,
quædam antiteta in omnium formabat oculis,
Juvenē videbant Julū, & jam grandævū venerabantur Catonē.
In cera juventutis suæ
boni Viri expressit effigiem,
sciens perbelle:
minùs utilem esse juventæ ceram,
sine dulciori probitatis favo.
Virtutum potiore numero quàm annorum accrescens
JOSEPHUS,
hoc meruit tenerior, quò rarò donantur adulti.
Crevit cum Illo indoles ætate major,
quæ illustrissimîs semel accensa cerîs,
flagrabat semper illustrioribus occupari.
Idcircò
ab Oceano alti Sanguinis
ad fontes properavit Sapientiæ,
quos vel ideo haurire voluit,
ut eosdem uberius publico commodo propinaret.
Primum Illi & maximum proficiendi
auspicium fuit
coram Supremo imminui Numine,

piisq;

piîsq; in Superos affectibus ferri,
Quos ita devoto corde coluit,
ut Eos omni præponeret studio.
Vix Palladis eruditam ingressus arenam,
illicò Gentilitiâ suâ Soleâ
gloriosa illi famæ impressit vestigia:
dum ita prima, literarum elementa percepit,
acsi illorum elementatum foret.
Nullus illi tam difficilis Gordius occurrit nodus,
quem ut alter Macedo,
ingenii sui non dissolvisset mucrone.
Ea animi facilitate percepit, literas,
acsi Illi congenitæ essent.
Arena literaria multis sæpe sterilis,
Illi opimam gloriæ & honoris tulit messem,
quia eam sudoribus melior irrigavit Colonus.
Sedulò Palladis Olympia decurrens Athleta,
illam sapientiæ partem enixo assecutus studio,
quæ salutarem Patriæ Civem,
& prudentissimum Senatorem,
in normam & exemplum cæterorum redderet.
Post expeditos in arena literaria Cursus
Martialis Polonum Scipiadam provocavit acies,
in qua toties Victor evasit,
quoties cum hostibus luctator stetit.
Vidit Illum Polonia fortissimum sui Achillem,
pro cujus integritate ita certavit,
ut solus maxima subire discrimina vellet,
ne illa subiret minimum.
Audax omnia perpeti;
ruebat in pericula animosior,
sternebat hostem dexterior,
palmas colligebat cæteris gloriosior.

Ut rebellibus inimicorum turmis certiorem inferret cladem,
& vitam suam & fortunam magnis objecit dispendiis.
Tot laureis redimitus Heros,
tot palmis insignis Miles,
post triumphales ignes
ad Hymenæi dum convolavit thædas,
CELSISSIMAM, ILLUSTRISSIMAM
&
EXCELLENTISSIMAM DOMINAM
D. de DUCIBUS CZARTORYSCIIS
HELENAM,
CELSISSIMI PRINCIPIS
ILLUSTRISSIMI olim & EXCELLENTISSIMI DNI,
D. JOSEPHI
DUCIS IN KLEWAN, KOREC & OLEXIENIEC
CZARTORYSKI,
Magni Ducatûs Lithuaniæ
VEXILLIFERI,
Viri de Republica & Ecclesia Emeritissimi,
Germanam Sororem in vitæ & thori Sociam assumpsit,
Cujus laudes & encomia ad calculum revocare,
non brevis momenti, sed grande sæculorum esset negotium.
Innuere satis esto:
in ea natam esse Domo,
in qua Regum Sceptra, Senatorum Purpuræ, Ducum Clavæ,
Mareschalcorum Scipiones, Præsulum Tyaræ,
suum posuêre domicilium.
Inter Connubiales thædas
animosus Hector MYSZKOVIUS,
nullum Bellonæ divortium indixit.
Semper

Semper ardentes Gradivi flammas magnanimo ferebat pectore,
ut triumphales Orbi Lechico
accenderet Rogos.
Nec minùs ingenio, quàm manu fortis,
ubi arma poluit,
Consiliis Patriam juvare non desijt.
Ad Generalia Regni Comitia Legatus,
optimi Civis gerebat nomen, dum pro
bono Patriæ diserto perorares ore.
Pretiosas animi Ejus dotes æstimans
olim
SERENISSIMUS ac INVICTISSIMUS
AUGUSTUS II.
POLONIARUM REX,
Magni Viri,
Emeritam virtutem Senatoriâ ornavit Purpurâ,
quam vix in se assumpsit,
illicò majoribûs in Republica meritîs inclaruit.
Certavit semper pro publico bono fortiùs,
disertissimum toties Arpinatem egit,
quoties ingentia Poloniæ poscebant negotia.
DIGNISSIMUS SENATOR,
Bona Consilia animam esse noverat Reipublicæ,
hîs continuò intentus,
tam in publico, quàm in privato, oracula consiliorum pandens,
languentem animavit Patriam, & placidæ restituit quieti.
Quoties in Senatu locutus:
toties Eum Polonus Orbis redivivum esse Tullium autumabat.
Lechica libertas defensore
JOSEPHO
nunquam servitutem passa,
captivam se tamen toties libentissimè voluit,
quoties inter aurea verborum Ejus vincula stetit.

Habuit Senatus Polonus
alterum in eo Coriphæum,
pro cujus bono animam etiam divisisset,
si dividi potuisset.
Nulla Illi dies fuit sine linea virtutis,
nullus mensis,
qui plenitudinem non auxisset meritorum.
Ubi frigidi Consultantium fuerunt animi,
Hic Flamminium egit,
ad saniores sensus Civium mentes inflammando.
Si largam Emeritissimi hujus de Republica Senatoris
attentiùs speculabimur munificentiam,
talis fuit, qualis Trajanos, aut Tytos ornabat.
Nemo ab Illo recessit, quin se beneficijs obæratum agnosceret,
metere se gratitudinis herbas censuit,
cum seminavit munera,
congregare fortunam, cùm eam dispensaret,
fænerari, cùm sine retributione donaret.
Sunt memores Ejus beneficij tot Religiosi cœtus,
quos sibi cumulatis in vita devicit & obligavit favoribûs.
Testatur Ejus munificentiam
Szaniecensis PP. Cameldulensium Basilica,
Cujus Gratiosissimus Fundator,
non tantùm æris proprij impensis
eandem à primis fundamentis erexit,
picturis tam ab intra quàm ab extra condecoravit,
splendida supellectili donavit,
ast etiam sufficientibûs proventibûs ditavit,
& larga dote cumulavit.
Matris Ecclesiæ
DILECTISSIMUS FILIUS,
Totam suam fortunam in honorem DEI,
in Templorum ornamenta, in pauperes Religiosos,

in Xenodochia & egenos convertit Nobiles.
Extollit ſub ſidera liberalitatem Ejus,
tam Clarus Mons Częſtochoviensis,
quàm Młodzovienſis Eccleſia,
à Cujus larga manu
inſignis illis advenit decor.
Inter hæc liberalitatis Mecænatis hujus documenta
Eſt memor & erit in ævum munificentißimi ſui
FUNDATORIS,
Filia Almæ Matris Univerſitatis Cracovienſis
Colonia Pinczovienſis,
cujus inſigni ſumptu fundata,
Cenſibus proviſa,
ex largo penu ſuarum gratiarum
& dotem recepit & nomen.
Jam igitur
Pinczovienſes Muſæ ex herba gratitudinis ſuæ,
nectunt immortalis Gloriæ Coronam.
MYSZKOVIO,
pariter Fundatori ac Protectori ſuo obligatißimæ.
In nobilioribus Juventutis Academicæ Aſcanijs,
vigebit memoria Fundatoris perennis,
in his Narciſſis munificum MYSZKOVIORUM
ſemper refloreſcet Nomen.
Efferent ſub Aſtra ſui Benefactoris famam
tenuiores Sarmaticæ Aquilæ pulli,
narrabuntq; omnibus coram Orbe ſæculîs,
quod MYSZKOVIANUS Accipiter,
illorum Patrem geſſerit,
quod ſub alis Protectionis ſuæ conſervârit.
Jam pridem Scholaſtici calami

 Gratio-

GRATIOSISSIMUM JOSEPHUM,
immortalibus inscripsêre fastîs,
Pinczovienses Musæ
munificentiam Ejus & patrocinium,
tunc nonnisi scribere & deprædicare desinent,
quando desinet & Orbis.
Cum autem summus esset literatorum Amor
JOSEPHUS,
omnibus etiam affabilis, omnibus gratiosus fuit.
Quos Jove, aut Apolline natos novit,
eos suæ adscivit Aulæ,
quos iniqua sorte depressos advertit,
hos munifica erexit manu,
Nobilium Patronus, Literatorum Pater,
Patriæ & Ecclesiæ optimus Civis.
Scriberet ampliora FUNDATORI suo elogia,
officiosissima penna,
ni mœsta amissi recordatio,
lacrymas effunderet pro sepia.
Assurgeret altiùs in condignas Panegyres dignissimo Senatori
tenuior Oratoris Stylus,
ni ad lapidem sepulchralem offenderet.
Idcircò jam Ejus
amplitudinem meritorum inter urnarum angustias non quærit,
sed in publico doloris consistens theatro,
scenam lugubrem agit.
Enimverò:
Vixit Vir iste ad delicium Orbis,
fatis ereptus nil nisi lacrymas poscit,
& in omnium cordibus tumulum.
Magna Ejus in Rempublicam & Ecclesiam merita,
illam doloris exigunt mensuram,

quæ

quæ ſuarum quantitate virtutum exæquet.
Nullius Ille vivens lacrymas habere voluit,
mortuus, ex omnium oculis irriguas elicit.
Vivere quidem deſiit, non tamen deplorari,
tempori, non perennantibus deceſſit lacrymis.
Quantùm ex præſentia ſua ſolatij Reipublicæ cauſavit,
tantùm triſtitiæ reliquit decedendo.
Extendit in ante famam meritîs, gloriam factîs,
etiam nunc in immenſum defleri debet.
Premitur graviore dolore cor,
dum videt,
quòd quantitas meritorum Magni Senatoris
communi fatorum termino copuletur.
Utinam ad vota omnium vixiſſet diutiùs ſine exitu vitæ;
quam ſemper optima agendo, beneficia largiendo inchoabat.
Minor doloris fuiſſet acerbitas,
ſi minùs amari potuiſſet, quàm Eum amârunt omnes,
Plura Ille pro Patria, pro Cælo egit,
quàm humanîs poſſit deplorari lacrymîs.
Quotquot heroicos reliquit actus, tot dolores;
Plangit ſuum Patria Patrem, deflet Religio Defenſorem,
Senatorem Curia, Vindicem libertas, pupilli Tutorem.
Pallas Academica
MUNIFICENTISSIMUM FUNDATOREM.
Pinczovienſes Camænæ vaſto oppreſſæ gemitu,
lugubres intonant nænias,
dum illum Mecænatem arctatum in urna vident,
quem in ſui ſubſidium experiebantur Ampliſſimum.
Amænum illis erat Eo ſuperſtite feſtiva occinere Acroamata,
nunc ad Sarcophagum Ejus atrociori dolore
plena Amyſtide, propinatos ſibi à fatis
hauriunt ſingultus.
Devolvitur hic ingens dolor,

 in

in Te principaliter

CELSISSIME PRINCEPS,

ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE,

D. ADAME

In Liptow & Orawd de Komorow

KOMOROWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPE GNESNENSIS,

Legate Nate, Regni Poloniæ & M. D. Lithu:

PRIMAS

primeq; Princeps, Abbas Tynecensis,

Aquilæ albæ Eques.

dignissimi sui Avunculi MYSZKOVII olim amabile corculum

& dexter ocelle;

Non potes toto non mærere pectore,

quoties Illum in feretrum mortis cecidisse recogitas,

Cujus nuper in animo totus, in corde resedisti.

Sub hoc Tu Patriæ Patre natam ad maxima quæq; indolem Tuã

privatìs publicìsq; studijs exercebas,

illudq; Caput pulcherrimìs gloriæ aptabas Coronamentìs,

quod dignum fuit Archi-Præsuleìs decorari Tyaris.

Vidit Te Ille moribûs gravẽ, ingeniô maturũ, & ita Te dilexit,

ut Possessorem sui cordis effecerit.

Et cùm jam defunctus in Tuo dolenti vult perennare animo,

hoc Tibi suam ad urnam appendit Anathema,

ut qui Celsissimìs in Orbe Lechico radias titulìs,

fulgeas quantocyùs Eminentissimis.

Redundat & in Te pars doloris maxima.

ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE,

D. CAROLE GONZAGA

MARCHIO IN MIROW,

de WIELOPOLSCIIS

MY-

MYSZKOWSKI,
Supreme Stabuli Regni Præfecte,
Minoris Poloniæ Generalis,
CAPITANEE CRACOVIENSIS,
Dignissime hujus Senatoris Successor.
Vivit in Te Gloria & Honor Ejus Marchionis, cui mori contigit,
ex squallidis mortalitatis umbris illius honorem,
Tua gloriosa in Orbe Polono merita
faciunt emicare.
Appretiavit Te multùm superstes JOSEPHUS,
nunc ad mortalitatis suæ Exuvias,
in Archivo Cordis Tui locari cupit,
simulq; tam se, quàm Musas Pinczovienses
uti successivo FUNDATORI
Paternis Tuis reddit respectibus.
Ex quantitate Magnorum de Republica ac Ecclesia meritorū
ILLUSTRISSIMI SENATORIS,
sume justam doloris mensuram,
CELSISSIME PRINCEPS
ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE,
D. STANISLAE KOSTKA,
DUX IN KLEWAN, KOREC, & OLEXIENIEC
CZARTORYSKI,
Supreme Regni Venator,
CAPITANEE RADOSZYCENSIS,
Emeritissimi Castellani dilectissime Nepos.
Vivit in Te STANISLAO etiam post fata
JOSEPHUS,
qui nunquam affectui Tuo mori voluit,
sic Te vivus adamavit Nepotem,
ut Tu mortuum in memori semper foveres corde:

Sortes suas in Tuas reddit manus,
cui totum in ante devoverat animum.
Fuit Ille præstantissima olim
cognati Tibi Sanguinis Gemma,
nunc ad mortalitatis suæ tumbam
gemitus & lacrymas poscit.
In magnanimitate Tua quâ in Orbe Sarmatico polles,
suum defunctus posuit Columen,
dum clausit in æternam vitalia lumina noctem,
Sub Gentilitio Tuo POGONIA
præsidium, & tranquillam sibi quærit quietem.
Et dum Illi hodie funebri cum pompa,
Justa persolvis Parentalia,
ad sepulchralem lapidem
ultimum Tibi intonat vale:
& intimo fusas de corde apprecationes ingeminat,
ut amplissimis in Orbe Polono clarus meritis
Illusttissimos possideas honores;
& quos Illi fata negârunt dies, hos sine numero
in Te boni Superi protendant.
Inter hos publicos dolores, explicant suum mærorem
amicis inclusum cordibus
Celsissimæ, Illustrissimæ Colligatæ Domus,
CZARTORYSCIORUM, WISNIOWIECCIORUM, KOMOROVIORUM, WIELOPOLSCIORUM, JORDANORUM, PONIATOWSCIORUM, HUMIECCIORUM, SARBIEIOWSCIORUM, BIEDZINSCIORUM, TOMICCIORUM, OGIENSCIORUM, BRONICCIORUM, PRZYŁECCIORUM, TECZINIORUM, BRANICCIORUM, MAKOWIECCIORŨ,
& millena alia in utraq; tam Majori quàm Minori Polonia,
Russia, primarum Familiarum Nomina,
acerbiora conquerendo fata,
MAGNI SENATORIS,
Ad Sarcophagum Illius uberrimas lacrymas fundunt,
& tantùm dolent quantùm superstitem amabant,
Ex quantitate
Magnorum de Republica & Ecclesia meritorum,
super defuncto CASTELLANO Dignissimo
justam doloris desumendo
MENSURAM.